

nominat initio fere eius:<sup>96</sup> *Si enim oportet etiam fabulam narrare pulchram et dignam auditu.* In fine quoque:<sup>97</sup> *Ideo sane ego quoque iam dudum extendo fabulam.*

Nec vero huius fabulae initio aut fine adiecit, quod in Gorgia addidit λόγον, *sermonem*, ut indicaret non solum fabulam esse, sed etiam pro sermone vero habendam. Sic enim scripsit:<sup>98</sup> *Audi sane, aiunt, valde pulchrum sermonem, quem tu quidem putabis fabulam, ut ego existimo, ego autem sermonem. Ut verum enim tibi dicam, quae dicturus sum.* Ita in Protagora quoque:<sup>99</sup> *Hac de [349] re, o Socrates, non iam fabulam tibi dicam, sed sermonem.*

### Platonis docendi mos [in margine]

Qua sermonis adiectione has a simplici fabula distinxit, qualem eam Olympiodorus in eius loci expositione agnoscit. Aitque Platonem, quando mentem legentium movere vellet aut rationem, rationibus validis usum esse, quando autem δόξαν, *opinionem*, exemplis veris, quando phantasiam fabulis, tum hoc Phaedone, tum in Symposio et Protagora et Gorgia. Cum ergo haec in Phaedone<sup>xxx</sup> de mari fluviisque Platonis aperta ac duplicata confessione fabula sit, puerilis ac prorsus Aristotele tam gravi philosopho indigna reprehensio est. Atque hi sunt omnes in naturali philosophia Aristotelis in Platonem et mendaces et falsi et futiles cavilli.

FINIS.

<sup>96</sup> εἰ γὰρ δὴ [δεῖ] καὶ μῦθον λέγειν καλόν, ἄξιον ἀκοῦσαι. [Usp. PLATO, Phd. 110.b.1]

<sup>97</sup> διὸ δὴ ἔγωγε καὶ πάλαι μηκύνω τὸν μῦθον. [PLATO, Phd. 114.d.7]

<sup>98</sup> ἄκουε δὴ, φασί, μάλα καλοῦ λόγου, ὃν σὺ μὲν ἠγήρησθαι μῦθον, ὡς ἐγὼ οἶμαι, ἐγὼ δὲ λόγον. ὡς ἀληθῆ γὰρ ὄντα σοὶ λέξω ἃ μέλλω λέγειν. [PLATO, Grg. 523.a.1 – 3]

<sup>99</sup> τούτου δὴ πέρι, ὦ Σώκρατες, οὐκέτι μῦθον σοὶ ἐρῶ, ἀλλὰ λόγον. [PLATO, Prt. 324.d.6 – 7]

<sup>xxx</sup> Corr. ex Phaedone